

tur, ita quotidie subsidio, & ope ipsius roboreretur. Unde hanc sententiam amplectuntur Palau, Martinus a S. Josepho, Dicastil. & alii, quos refert, & laudat novissime Clericat. *loc. cit. n. 11.*

Quar. 26. An in eadem infirmitate, variato tamen statu, possit moniali extrema Unctio pluries ministrari.

Resp. Affirmative cum D. Th. communiter recepto in 4. *dist. 23. q. 2. & 4. q. 2.* Quia effectus Sacramenti non se extendit ultra statum periculosum morbi; unde, cessato priori periculo, & novo superveniente, potest repeti Sacramentum; nam adveniente novo periculo, nova quoque supervenit hujus Sacramenti indigentia. Neque ad hujusmodi repetitionem necesse est, vel quod infirmitas sit diuturna, qualis est paralyfis, hydrops, aut Ethica, ut requirunt Durand. D. Antonin. & D. Bonavent. vel quod elabatur annus, ut vult Albert. vel saltem quod interruptio sit magna, ut Suarez; vel quod infirma nova commiserit peccata venialia, ut Paludan. sed sufficit, quod juxta peritorum judicium recedat prius periculum, & novum adveniat, sive breve tempus intercesserit. Quia non tempus, sed imminens mortis periculum est fundamentum repetendi extremam Unctionem, ut tradunt Hugon. Hurtad. Gabriel. Tamb. & alii apud Palq. *loc. cit. q. 434. n. 8.* Qui tamen *q. 435.* negat, posse repeti, si durante eodem periculo, novum cujuscumque generis superveniat, quia auxilia non dantur contra morbum corporalem, sed contra spirituales, qui non variatur ex variatione morbi corporalis, aut, si per accidens crescit, sufficiunt auxilia jam debita, quia dantur juxta exigentiam, quæ con-

contingit toto tempore morbi periculosi.

Quar. 27. An valeat legatum annuum relictum monialibus pro necessitatibus infirmarum, si moniales ex instituto solis elemosynis vivant.

Resp. Valere, tradunt Ananias, Rodriq. & Portel. *in dub. regul. v. legatum n. 7.* Quia legatum factum pro necessitatibus infirmarum, non monialibus proprie fit, sed loco pro infirmis deputato. Negat Sanch. *in sum. lib. 7. cap. 26. n. 47.* quia legatum hujusmodi tollit rigorosam mendicitatem, quam profitentur, cum deserviat pro necessariis infirmarum alimentis, & medicinis, quæ nomine alimentorum etiam comprehenduntur. Utranque opinionem probabilem putat Diana *in Opere coord. tom. 7. tr. 1. ref. 223.*

S. VII.

De Infirmaria obligationibus, & Privilegiis.

Quar. 1. **Q**ua diligentia, & cura debeat Infirmaria vacare suo ministerio.

Resp. Teneri vacare ea diligentia, ac cura quam ministri infirmorum passim solent adhibere; ad insolitam & extraordinariam non teneri; quia talis præsumitur ejus intentio, dum suscipit tale munus, ne alioquin nimis se gravet, sibi imponendo onera importabilia. Tum quia ubi agitur de obligatione, stricta adhibenda est interpretatio; unde etiam obligatio Infirmarie debet interpretari, ita ut obliget minus quam fieri possit, atque adeo non debet extendi nisi ad diligentiam communem, & ordinariam.

Quar. In quibus præcipue Infirmaria possit peccare.

Resp. Ex Villalob. & Castrop. peccare mortaliter, quando, relictis remediis assignatis a Medico, aliis pro sua voluntate utitur, & aquam, aut vinum infirmis proponat, ut earum voluntati satisfaciatur. Exponit enim infirmas absque ratione manifesto periculo moriendi, saltem citius. Item si tempus pro tradendo pharmaco, vel cibo præscriptum a Medico, non servet, aut indigentis infirmarum non provideat, vel Abbatissam de prædictis indigentis non admoneat, si inde damnum, vel incommodum aliquod notabile infirmis emergat. Barchius *de Specul. Relig. c. 25.* Quia cum ratione muneris teneatur Medico obedire, & infirmis providere, est causa indirecta damni, vel incommodi, quod consequitur ex omissione

Quar. 3. An Infirmaria teneatur cum periculo vitæ parere Abbatissæ præcipienti, ut monialibus contagioso morbo laborantibus inserviat.

Resp. Videri, quod non, ob rationem D. Th. 2. 2. q. 104. a. 5. Quia in pertinentibus ad corporis sustentationem omnes homines natura sunt pares. Nilominus in contrarium facit, quod Superior potest præcipere omnes illos actus exteriores, necessarios ad commune illud bonum, cujus curam gerit, & tunc subditi etiam cum periculo vitæ tenentur obedire; sicut Rex pro civitatis defensione potest subditis præcipere præliationem, quæ semper est cum periculo vitæ. Tum quia male provifum esset in Religione fraternæ charitati, si tempore contagiosæ infirmitatis possent sanæ se subtrahere, desin-

in-

infirmis sine remediis, & servitute. Ita Cajet. Rodriq. Peyr. & Sanch. *in decal. lib. 6. c. 2. n. 56.* Quod tanto certius procedit in monialibus Oblatis, quæ inserviunt infirmis, & sine dote ad hunc effectum sunt ad monachatum admittæ, & receptæ, ut toto vitæ suæ tempore infirmis deserviant. Tamb. alios referens *de jure Abbatiss. disp. 2. q. 2. n. 25.* Qui tamen excipit ab hac regula monialem illam, quæ esset admodum infirmæ valerudinis, vel cujus vita esset valde utilis bono communi religionis.

Quar. 4. An Infirmaria possit licite egredi e clausura ad vocandum Medicum, vel Confessarium ex repentina oborta necessitate alicujus monialis infirmæ ad extremum vitæ a morbo adductæ, & alius non adsit, qui possit vocare;

Resp. Affirmat Cassian. a S. Elia *v. clausura n. 161.* modo sit spes, Medicum esse profuturum, aut probabiliter timeatur eam esse in mortali peccato. Ratio est; quia præcepta Ecclesiæ non impediunt majus bonum, quia ita præscribunt bonum, ut si hoc bonum sit impeditivum alterius boni majoris, celsæ ipsorum obligatio ex generali intentione ejusdem Ecclesiæ. Unde cum in præsentī casu subventio proximi extreme indigentis sit majus bonum, quam observantia clausuræ: illa enim provenit a virtute charitatis, hæc obedientiæ, obligatio primæ prævalere debet, & secundæ celsare.

Quar. 5. An, & quibus in casibus Infirmaria excusetur ab audienda Missa.

Resp. Excusari, si illius assistentia est saltem necessaria, ne infirma notabiliter tristetur, nec habet, quas substituat. Ita communiter Doctores, quos approbans refert Pasqual. *de Sacrif. nov. leg. q. 1328.* qui hoc ad-

ad-

admittit etiam si assistentia non esset necessaria; si tamen bona fide putaretur necessaria, cum sufficiat, ut apprehendatur ut talis; nam tunc formatur recta conscientia, quod liceat omittere auditionem Missæ. Subdit insuper, idem dicendum, si infirma pro sua satisfactione vellet: Infirmariam sibi assistere, quamvis alia substitui possent, si non obsequi illius voluntati esset causa, quod tristaretur, vel indignaretur, cum exercitio harum passionum possit infirmæ notabiliter nocere. Neque infirma in tali casu peccaret impediendo Infirmariæ pro tunc non sibi necessariae auditionem Missæ, quia complacentia illa, quam percipit ipsius præsentia, affert illi aliquod solamen, absentia vero tristitiam, & ideo habere potest moti-
vum sufficiens, ut detineat ab audienda Missa.

Quar. 6. An Infirmaria possit in diebus prohibitis comedere aliquid carniæ, ut excitet in infirmis appetitum, & inducat ad comedendum.

Resp. Affirmant Nav. Sanch. & Diana *part. 5. rr. 5. ref. 32.* Quia stante parvitate materiæ non adest materia integra prohibita, atque adeo nec materia peccati mortalis; quia vero apponitur finis honestus, & quem charitas imperat, desinit etiam esse materia peccati venialis, quia ex fine apposito subtrahitur a ratione, sub qua prohibetur, & constituitur in ratione honesti.

Quar. 7. An occupatio in deservendis pluribus infirmis sit causa sufficiens excusandi Infirmariam a jejuniis.

Resp. Ex Pasq. *de jejuniis decis. 339. n. 5.* affirmative, quia tale servitium exigit continuam assistentiam, quæ secum trahit magnum labo-

rem.

rem. Hoc autem est intelligendum ut ea, quæ parat cibos pro infirmis, & in cæteris servitiis necessariis ipsis ministrat, non de ea quæ solum assistit. Neque pariter tenetur ad jejuniis die sequenti, si per totam præcedentem noctem, vel majorem partem assistat alicui infirmæ; talis enim assistentia, quia privat debito somno, caulat magnam debilitatem, unde superveniens jejuniis esset nimis onerosum. Ita ex Ledesma, & Rodrig. Pasq. *loc. cit. n. 6.*

Quar. 8. An & quando Infirmaria ab Officii recitatione excusetur.

Resp. Excusari, quando ita est in infirmarum servitio occupata, ut totum diei tempus, quod necessitatibus corporis moraliter, & sine magno incommodo subtrahi potest, in earum indigentis sit infammendum. Charitatis enim præceptum urgentius, & excellentius est præcepto recitationis Officii, & proinde hoc cessare debet, utpote impeditivum majoris boni. Ita Sotus, Sanch. *2. 2. conf. lib. 7. c. 2. dub. 51. n. 2.* & Suarez *2. 2. de relig. lib. 4. c. 38. n. 35.* Ex quo pariter deducitur esse excusandam, etiam si aliqua modica diei pars pro honesta animi relaxatione superesset. Quia sicuti ob recitandas horas canonicas non tenetur subtrahere tempus cibo, & quieti; ita neque honestæ relaxationi, cum hæc non minus necessaria sit ad corporis levamen, quam refectio, & somnus, maxime si vires essent ex præcedenti occupatione defatigatæ. Quod si occupatio non sit integræ diei, tunc Infirmaria debet hujusmodi occupationis tempus prævenire, vel recitationem postponere, quia præceptum obligat pro tota die. Potest tamen excusari, quando impedimentum repentinum prævidere non potuit, vel quando ad illud non advertit. Suarez *l. c.*

§. VIII.

S. VIII.

*De Aromataria obligationibus, & Privilegiis.**Quar. 1.* AD quid teneatur Aromataria

Resp. Quæ suæ artis sunt teneatur scire. Etenim lex tam naturalis, quam humana prohibet, ne quis artem, quam ignorat, exerceat, ut in *cap. non est sine culpa de regul. jur. in 6.* Neque sufficit, quod instructa sit quo ad artis præcepta, & regulas, sed debet etiam esse instructa quo ad practicam, cum ex istius deficientia possint plurima, & gravia infirmis oriri incommoda. Teneatur quoque debitam in conficiendis pharmacis adhibere diligentiam; quia omnibus munus aliquod exercentibus obligatio inest, ut illud diligenter exerceant *Abb. in c. ad aures, n. 3.*

4. & 6. de arat. & qualis.
Quar. 2. An possit de se, & inconsulto Medico pharmacum aliquod infirmis præbere.

Resp. Si habeat aliqua particularia medicamenta ad speciales morbos, nempe ad sanandas oculares fistulas, dolores dentium, & alia huiusmodi, & experta fuerit prodesse, potest utique illa præbere. In aliis casibus non potest; quia cum non habeat scientiam, & artem ad curandos morbos, manifesto vitæ periculo infirmas exponeret; imo neque potest, etiam si aliqualem habeat experientiam, quia exponeret se periculo occidendi infirmas, & contraveniendi decalogi præcepto *Non occides.* Sicut de Medico asserit *gylvest. in sum. v. Medicus, q. 1.*

Quar. 3. An licitum sit Aromataria præbere

bere poculum moniali gravidæ ad procurandum abortum foetus inanimati, ne fama periclitetur monasterii.

Resp. Negative cum communi Doctorum; quia abortus foetus inanimis est peccatum gravius pollutione, cum proximius opponatur generationi. Sicut ergo in nullo casu est licita pollutio, ita neque abortus foetus inanimati. Unde merito oppositum damnatur ab Innocentio XI. in propositione 34. sub qua tamen valde dubitat Lumbier, an præsens casus comprehendatur; quia, ait ipse, propositio proscripta loquitur quando agitur de vitanda infamia puellæ, non vero de vitanda infamia religiosi coenobii, quod valde diversam est, adeoque prohibitio, subdit idem Doctor, ad præsentem casum non videtur extendenda, quia strictæ interpretationis est, utpote odiosa. Resolvit tamen, illicitum esse etiam in præsentem procurare abortum foetus inanimati, quia ad evitandam infamiam coram sæcularibus est aliud medium, scilicet præcipiendo in virtute sanctæ obedientiæ observationem secreti.

Contineri pariter præsentem casum sub damnatione, patet, quia præfata propositio in tantum proscibitur, in quantum asserit, esse licitum procurare abortum puellæ ex periculo proveniente ab extrinseco, quale est periculum vitæ, & famæ. Cum igitur etiam periculum difamationis monasterii sit periculum proveniens ab extrinseco, remanebit quoque damnata propositio asserens esse licitum procurare abortum monialis, ne infametur monasterium. Neque fit extensio prohibitionis ad casum: sed casus dicitur comprehensus ex identitate rationis.

Pec-

Peccat igitur Aromataria pharmacum præbens ad procurandum abortum foetus inanimis, & si est animatus, contrahit etiam excommunicationem Sixti V. dummodo tamen sequatur effectus. An autem effectu non secuto incidat in casum reservatum, asserit Belloch, Zech. & Bonae. negat aliis relatis Diana in opere coord. tom. 5. tract. 4. resol. 26. ubi advertit, hoc non procedere, si monasterium subdatur Regularibus, quia quoad illos ex Decreto Clementis VIII. etiam effectu non secuto inducitur reservatio. Quod si dubium sit, an foetus fuerit animatus, Moura, Præpositus, & Macadus putant non incidere in reservationem, quia reservatio ad casus dubios non extenditur tanquam odiosa, nisi aliud exprimat. At in oppositum est communis sententia, quia in dubiis tutior pars est eligenda.

Quar. 4. An Aromataria possit lucrî causa vendere extraneis medicamenta.

Resp. Extare pro Urbe Roma, ejusque districtu decretum Visitationis Apostolicæ die 29. Augusti 1637. quo prohibetur tam Superioribus quorumcunque Ordinum in Urbe, ejusque districtu existentium, quam particularibus Religiosis quibuscunque, ne in posterum sive religionis nomine, sive particulari audeant, & præsumant per se, vel per alios in suis Conventibus artem aromatariam exercere, præter quam pro suis Religiosis, & Ecclesiasticis, pharmaca vendere etiam prætextu amicitia, & familiaritatis absque speciali licentia in scriptis obtinenda. Unde cum hoc decretum sit pro Urbe Roma ejusque districtu, in aliis partibus standum est juri communi, ut
resol.

resolvit Sac. Congreg. Episcop. & Regular. in Neapolitana 5. Octobr. 1646. Jus autem commune non videtur prohibere hujusmodi venditionem; pharmaca enim artificium honestum sunt, & non proprie negotiatio. Maxime quia in hoc non tam spectatur lucrum, quam utilitas infirmarum; dum enim extraneis venduntur, frequentius renovantur medicinalia, unde monialibus infirmis subministrantur recentiora, atque adeo magis utilia. Quod etiam declaravit eadem Sac. Congreg. in Neapolitana 26. Maji 1602. & in una Dominicanorum 11. Octobr. 1647.

Quar. 5. An Aromataria vendens, ut supra, medicamenta, possit recipere pretium juxta taxam Aromataris secularibus factam.

Resp. Videtur quod sic; quia taxa non statuit pretium tanquam privilegium Aromatariorum secularium, sed tanquam pretium justum medicinalium. Unde quicumque illa vendit, potest recipere juxta taxam, quia recipit pretium justum. Verum oppositum sustinendum cum Navarra lib. 3. de visitat. c. 2. n. 4. & Reginaldo in Praxi lib. 25. n. 281. Quia in taxatione justii pretii non tam habetur respectus ad valorem medicinalium in se, & alias circumstantias, puta industriam, laborem &c. sed etiam ad expensas, quas subeunt Aromatarii seculares in conductione officina, solutione vectigalium, salario famulorum, &c. a quibus omnibus expensis sunt exemptæ moniales. Unde pretium, quod est justum respectu Aromatariorum secularium, injustum est respectu monialium, quia detractis illis expensis, excedit valorem medicinalium.

Quar. 6. An possit vendere quid pro quo.

Resp.

Resp. Non posse. Tum quia eminentem decipit, dando aliam substantiam ab expetita; tum quia certum pretium recipit pro incerto medicamento; tum quia saluti infirmi non contulit, & utinam aliquando illam non offendat, dum medicamentum illud suppositum fortasse dissimile est, quamvis non videatur dissimile. Quare confurgit obligatio resarciendi omnia damna ex tali deceptione, forte secuta. Solum excusari potest, si certa sit supposititias res pollere eadem virtute, & fore æque, vel quasi æque utiles ementi. Tenetur tamen restituere excessum pretii, si forte acceptus est supra justum pretium rei traditæ (etiam si ejusdem fuerit utilitatis) vel supra pretium, quo emptor rem eandem alibi fuisset empturus.

Quar. 7. An possit Aromataria vendere pharmaca minori pretio consanguineis, vel amicis, donando illis quod ipsi deberetur ratione industriæ, & laboris.

Resp. Negat Bordonus; quia labor ille est pretio æstimabilis, unde Aromataria donando suum laborem disponeret de re præcio æstimabili, quod est contra votum paupertatis. Dissentit Joanes de Lugo *disp. 3. de just. n. 149.* quia Religiosus sine præjudicio paupertatis potest alteri inservire, eique gratis operam suam præstare. Distinguunt alii; vel Aromataria degit in monasterio, in quo viget præceptum, aut consuetudo, ut moniales operas suas, & lucra inde percepta conferant in bonum commune; vel degit in monasterio concedente monialibus, ut pro se laborent, & sibi metipsis lucrentur. Non potest si in primo, quia præsumi non potest licentia Abbatissæ, obstante consuetudine, vel præcepto. Potest autem si in secundo, quia

Ab.

Abbatissa rationabiliter non censetur invita, cum nihil damni resultet monasterio. Poterit etiam pharmacum aliquod levioris momenti pauperibus ministrare ex præsumpta licentia Abbatissæ, quæ præsumitur habere erga pauperes charitatem, Imo poterit etiam, reuente Abbatissa, si pauperes versentur in extrema necessitate, ut alibi docuimus cum D. Thoma.

Quar. 8. An liceat Aromataria venenum vendere.

Resp. Si venenum talis naturæ sit, ut non nisi ad malum possit deservire, non licet; quia esset præbere materiam peccati, & alieno peccato cooperari. Conveniunt omnes Doctores. Si vero sit indifferens ad bonum, & malum usum, & Aromataria nesciat, aut tantum dubitet, an emens eo sit abusus, potest vendere ob finem justiciæ, & honesti, dummodo non intendat, ut emens eo male utatur. Quia quando actio aliqua est desiderata, qui bono fine ad illam cooperatur, non peccat; utitur enim jure suo. Regim. in *Praxi lib. 25. n. 263.* Si autem sciat, vel saltem probabiliter credat, eminentem veneno abusurum vel ad occidendum proximum, vel ad vitam sibi adimendam, adhuc posse vendere sustinent Cajet. Angel. Navar. & Lorca, quia pravus usus eminentis non est volitus directe, neque indirecte; est enim effectus per accidens, & non per se consequens, qui proinde non imputatur, etiam si sit pravus, dummodo non sit intensus, ut ex D. Th. 2. 2. q. 74. n. 8. & q. 20. n. 5. Oppositum approbo cum Armilla, Tabiena, Reginaldo *loc. cit.* & aliis. Quia suppeditare alteri materiam injuriose nocendi, vel sibi, vel proximo, est

608

contra charitatem, aut contra iustitiam, vel potius contra utrunque.

Quar. An liceat Aromatariz pharmaca conficere in die festo.

Resp. Negative, *Sot. lib. 2. de iust. q. 4. art. 4. ad 3.* quia opus servile est, quod sola necessitas facit licitum in die festo. Unde ea tantum pharmaca, quæ pro præsentis diei necessitate deserviunt, potest Aromataria componere, vel ea jam composita vendere omnibus horis, sicuti qui herbas, pisces, & aves deferunt. *Sac. Congreg. Vicario Andrianen. 16. August. 1593.* Neque licet rosas, violas, & alia huiusmodi saccharo condire, vulgo, *far Conserve*, Alcozer, & *Sanch. tom. 2. conf. lib. 5. c. 2. dub. 18. n. 5.* neque aquam ex herbis per stillarium extrahere, quia hæc quoque servilia sunt. Excusare tamen, ut diximus, potest necessitas, quæ facile contingere potest, si ex dilatione flores, & herbæ languescerent, earumque virtus deperiret. Vel si tanta esset aquarum distillandarum copia, ut intra tempus aptum tota pro usu totius anni provideri non posset. Ex prædictorum enim carentia magnum monasterio resultaret incommodum; quod sicuti in aliis casibus per Doctores excusat, debet in præsentis pariter excusare.

Quar. 10. In quibus aliis possit peccare Aromataria.

Resp. Peccare, si in componendis pharmacis non omnia apponit præscripta a Medico, *Duard. in 6. utriusque sexus tom. 2. disp. 26. sect. 2.* Vel si apponit, illa tamen sunt vetusta, vel non exigitam virtutem habentia, unde medicamentum parum prodest infirmo. *D. Antonin. p. 3. tit. 8. c. 4. §. 6.* Item si inutilia, & multo magis si nociva

civa immisceat, mortaliter peccare, nisi excuset materiæ parvitas, communiter fateatur Doctores. Et in prædictis casibus non solum lædere charitatem, sed etiam iustitiam, adeoque teneri ad omnia damna inde secuta, tradit aliis citatis *Homobon. in comment. resol. 11. 10. c. 4. q. 12.* Non peccat tamen, si in conficiendis medicamentis tantum aquæ, vel alterius liquoris immisceat, quantum ad medicamenti compositionem est necessarium, quamvis eodem pretio medicamenti vendat. *Trullench. in decal. tom. 2. lib. 7. cap. 20. dub. 11. n. 5.*

§. IX.

De Celleraria obligationibus, & Privilegiis.

Quar. 1. **A**N Celleraria, cui bonorum monasterii incumbit administratio, possit aliquid de iisdem bonis in iustam donationem, aut alienationem expendere.

Resp. Non posse, nisi id, quod ab Abbatissa illi commissum est. *D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1.* Ex quo fit, eam mortaliter contra votum paupertatis peccare, si in alios usus, præter deputatos, quantumvis illi liciti sint, & communitati deserviant, rem expendat, absque expressa, vel præsumpta Abbatissæ voluntate; quia exercet actum dominii, & sibi commissæ administrationis metas excedit. *Manuel. Sanchez & Peyrin. c. 1. de subd. q. 2. c. 2. §. 9.* qui tamen putat non peccare mortaliter subministrans moniali indigenti aliquid necessarium injuste ab Abbatissa denegatum, quia in eo casu Abbatissæ supplet defectum.

Quar.

Quar. 2. An de præsumpta Abbatisæ licentia possit remunerare merita, & obsequia ab extraneis administrationis præstita, & alias non debita.

Resp. Posse, attentis tamen viribus, & legibus suæ administrationis, nec non inspectis meritis, ac circumstantiis, non solum quando merita pariunt actionem ex justitia, sed etiam quando ejus sunt naturæ, ut hominem deceat esse gratum, ac obligent ad antidora. Ita post alios Trullench. in *Decal.* l. 7. c. 27. dub. 8. n. 4.

Quar. 3. An peccet Celleraria contra votum paupertatis distribuendo bona monasterii non juxta mentem Abbatisæ, sed proprio arbitratu.

Resp. Peccare saltem venialiter, si det plura aut pauciora, meliora aut deteriora, quam sciat velle Abbatisæ; qua parte enim recedit a mente Abbatisæ, incurrit in vitium proprietatis, dispensando ac si esset domina, nullatenus ab alterius pendens arbitrio. *Lectus lib. 3. c. 41. n. 178.* aliique communiter.

Quar. 4. An peccet Celleraria, si c. let Abbatisæ summam aliquam notabilem pecunie expendendam in usibus utilibus monasterio, invita tamen Abbatisa.

Resp. Peccare si Abbatisa sit rationabiliter invita, & quidem non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam; quia Celleraria, cum sit administratrix bonorum monasterii dependenter a principali administratrice, quæ est Abbatisa, non potest ea administrare, nisi ex voluntate ipsius sive expressa, sive tacita: Mandatarius enim debet diligenter observare fines mandati, *l. diligenter ff. mandati.* Unde si aliter administraret, iis

iis uteretur, ac si essent propria, atque adeo secundum hoc censeretur proprietaria. Si vero Abbatisa est invita quoad modum tantum, non peccat nisi venialiter. Et si irrationabiliter sit invita, nullam culpam committit, quia tunc utiliter monasterii negotium gerit, & operatur ex voluntate præsumpta superioris Prælati, qui si adesset, illam expensam fieri omnino vellet.

Quar. 5. An peccet, si monialibus tam fanis, quam infirmis necessaria abundanter non provideat juxta Religionis statuta.

Resp. Ex *Peyr. tom. 2. q. 2. c. 5. §. 1. n. 58.* affirmative; ex quo enim moniales per professionem Religionis nomen dederunt, eique incorporæ serviunt juxta vocationem suam, dignæ sunt ex justitia mercede sua, & jure naturæ sunt participes quoad necessaria bonorum temporalium, & spiritualium ipsius Religionis. Excusari solum potest a necessariis ministrandis, propter monasterii inopiam, & tunc communis paupertas est ab omnibus toleranda.

Quar. 6. An de monasterii bonis possit largius distribuere amicis monialibus animo illas gratificandi, & quidem propria auctoritate.

Resp. Ex dictis non posse, & contraveniendo peccare; cum enim sit simplex bonorum monasterii administratrix, non potest administrare bona commissa nisi juxta voluntatem domini, qui in casu nostro est monasterium. Hinc a fortiori d-cenda est peccare, si ita abundanter aliquibus provideat, ut alix ea de causa graviter indigeant, quia fit aliis injuria, cum communitatis bona pro indigentibus sint communia. *Rodrig. & Peyrin.*

Quer. 7. An Celleraria possit sibi aliquid applicare de bonis monasterii ob laborem officii.

Resp. Non posse, quia ex vi professionis, & contractus in initium monasterio tenetur ex iustitia inservire. Imo neque ob labores extraordinarios, & ultra obligationem susceptos, quia semper talis applicatio est actus dominii, cuius est incapax ratione voti.

Quer. 8. An possit de bonis monasterii alias eleemosynas erogare.

Resp. Posse facere eleemosynas illas, quæ consueverunt per Cellerarias dispensari. Quia Abbatissa committens officium censetur eo ipso committere consueta in illo officio exerceri. Ita Azor. & Tambur. ex D. Th. 2. 2. q. 32.

art. 8. Immo si Celleraria facultatem habeat expendendi summam aliquam in utilitatem monasterii, poterit eam in pias eleemosynas erogare, quia eleemosyna cedere solet in monasterii splendorem, & decentiam, ac proinde in ipsius utilitatem. Salmant. in Theol. moral. 1. 3. tit. 13. c. 6. punct. 7. n. 90. Unde poterit etiam aliis ejusdem monasterii monialibus distribuere, quia utilitas non modica monasterii est monialium indigentias sublevare; quominus enim indigent, eo majori attentione divinis incumbant, magisque secularibus curis se abstinant.

Quer. 9. An Celleraria, quæ ut supra, de commissione Abbatisse potest aliquas eleemosynas pauperibus distribuere, possit in monasteriis, in quibus non servatur vita communis, sibi, vel aliis monialibus illa applicare.

Resp. Videtur negative resolvendum; quia eleemosyna, cum sit sublevatio alienæ miseræ, necessario est ad alterum. Unde si Celleraria talem

talem pecuniam sibi, vel aliis monialibus applicaret, illa applicatio non haberet rationem eleemosynæ, quia non esset ad alterum; nam dominium semper remaneret apud eundem dominum, nempe apud monasterium, cum moniales ex vi voti paupertatis nihil sibi possint acquirere.

Adde: quod, quando Abbatissa committit Cellerariæ distributionem eleemosynæ, censetur committere secundum id, quod de ordinario solet praticari; vera enim mentis interpretatio desumitur a practica. Bald. in cap. 1. in princ. de feud. sis. culpa non amit. de ordinario autem eleemosyna distribuitur extraneis. Maxime quia, cum paupertas tam Cellerariæ, quam aliarum monialium sit cognita Abbatisse, si vellet eleemosynas illis ipsis applicari, id exprimeret. Quare si Celleraria distribuit sibi, vel aliis, non distribuit juxta commissionem Abbatisse. Unde peccat contra justitiam, quia privat pauperes illa eleemosyna, quæ, supposita applicatione Abbatisse, est ipsis debita; & peccat etiam contra paupertatem, quia excedit facultatem suæ commissionis, atque, adeo agit nomine proprio, & ut domina quod est directe contra votum paupertatis. Sic D. Th. 2. 2. q. 3. art. 8. ad 1.

At oppositum etiam sustinendum videtur per ea, quæ tradunt Sanch. in sum. 2. 1. lib. 4. cap. 49. n. 62. & alii relati a Barbosa de off. & potest. Episc. par. 3. allegat. 83. n. 25. qui asserunt, quod Religiosus electus a testatore ad distribuendam pauperibus eleemosynam, potest monasterio, vel sibi, vel aliis Religiosis talem eleemosynam dispensare; militat enim in utroque casu par ratio. Nam Celle-

rariæ etiam in proposito commissa est ab Abbatissa distributio elemosynæ inter pauperes; unde cum vere tam ipsa, quam aliarum moniales sint pauperes, si sibi, vel istis distribuit, facit juxta formam mandati, & adimplet mentem Abbatissæ.

Neque Celleraria, aut aliarum moniales censeferi debent exclusæ, quia præsumendum est, quod Abbatissa committat dispensationem secundum exigentiam, & ordinem charitatis; ordo autem charitatis postulat, ut succurramus magis indigentibus, magisque nobis conjunctis, quales sunt moniales respectu Abbatissæ, cujus sunt filiarum spirituales, & versantur in majori necessitate, quia indigentia est magis in monialibus periculosa, *z. 1. de stat. regul. 6.* Et in hoc salvatur etiam quod elemosyna sit ad alterum, si non secundum jus proprietatis, quia moniales sunt incapaces proprii ratione voti, saltem secundum usum, cuius sunt capaces. Bart. quem secutus est Abbas *conf. 440. n. 1. lib. 2.*

Quar. 10. An Celleraria possit sive intra, sive extra monasterium sine licentia Abbatissæ mutare, aut commodare res monasterii, et an si sint magni valoris, quando certa est de restitutione.

Resp. Non posse; præcipue si res illæ sint per longum tempus mutuandæ, aut commodandæ, quia notabiliter deteriorari possunt; & sæpe has res mutare, ægre ferunt Superiores. Ita Garz. Lugo, Tamb. & Jo. de la Cruz *in epis. lib. 1. c. 3. dub. 4.* Qui tamen concedit, posse Cellerariam res magni valoris commutare, inconsulta Abbatissa, quando monasterium ex hac commutatione nullum patitur detri-

mentum. Quia talis commutatio non habet ationem distractionis, aut consumptionis, cum monasterium semper remaneat cum æquali valore, ac proinde non censetur Abbatissa rationabiliter invita quo ad substantiam, & sic datur ejus licentia tacita. At nequaquam posse, tenent Sanch. Peyr. & Barth. a S. Fausto; quia commutare actus dominii est, cum transferat dominium rei in aliud, idque valide fieri nequit, nisi ab habente dominium rei, vel illius absolutam administrationem.

Quar. 11. An Celleraria teneatur ad restitutionem, si ex sua culpa pereant aut deteriorentur bona monasterii suæ custodiæ, vel dispensationi, aut administrationi commissa.

Resp. Non teneri, si hoc contingat ex culpa levi, aut levissima. Solum enim se obligavit ad exercendum officium diligenter, & accurate, sicut solet ab aliis ejusdem conditionis, & generis communiter exerceri. Ita Sorus, Lessius, Vasquez, & alii, qui solummodo illam obligant, quando intervenit lata culpa, quia perinde est, ac si dolo ea destrueret, nam lata culpa dolo æquiparatur in jure. Excusari tamen potest, si pereant, aut deteriorentur ex inconsideratione, aut oblivione inculpabili, quia nulla interveniente culpa theologica, nulla intervenit injuria, atque adeo nulla restitutionis obligatio, quæ tantum oritur a gravi culpa.